

**De periculo causticorum in herniis curandis : theses anatomicae et chirurgicae, quas, Deo juvante, & praeside M. Tussano de Bordenave ... / tueri conabitur Joannes-Abraham Auvity.**

**Contributors**

Auvity, Jean Abraham.  
Bordenave, Toussaint, 1728-1782.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Parisiis : Typis Michaelis Lambert, 1780.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/gja3jd8a>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

50.  
40.  
D E

PERICULO CAUSTICORUM  
IN HERNIIS CURANDIS.

T H E S E S  
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ;

QUAS, DEO JUVANTE, & Præside M. TUSSANO DE BORDENAVE,  
*Artium & Chirurgiæ Magistro, antiquo Collegii Præposito,  
Scholarum Professore Regio, Librorum Censore, è Regiâ  
Scientiarum Academiâ, Regiæ Chirurgiæ Academia nuper  
Directore, Academiarum Rothomagensis, Lugdunensis & Flo-  
rentinæ, necnon Regii Medicinæ Nanceiani Collegii Socio,  
tueri conabitur JOANNES-ABRAHAM AUVITY, Trecensis,  
in almâ Universitate Parisiensi Artium liberalium Magister,  
Theseos Auclor.*

*Die Sabbati quintâ Augusti, anno Salutis 1780, à sesqui-secundâ  
post meridiem ad septimam.*

P A R I S I I S,  
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,  
PRO ACTU PUBLICO  
E T  
MAGISTERII LAUREA.



P A R I S I I S,  
Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii  
necnon Academiae Typographi, viâ Cithareâ.

---

M. D C C. L X X X.









D. O. M.

---

DE

PERICULO CAUSTICORUM  
IN HERNIIS CURANDIS.

---

*T H E S E S*  
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

HUMANUM corpus plurima undequaque afficiunt mala, quæ pro diversâ organorum tenuitate variisve illorum quibus destinantur officiorum momentis, plus vel minus ingravescent. Diversas inter partes quæ ad præstantissimum naturæ opus efformandum conspirant nullæ sunt unde frequentior, vel pericu-

A ij



lofior morborum series oriatur , quàm ex his quæ continentur in abdomine , & imprimis ex ventriculo & intestinis. Hæc viscera fuis à creatore præscriptis limitibus coercita , utilissimis vicibus funguntur , canalium instar , tùm structurâ , tùm dispositione , sapientissimi Artificis manum testantur ; varios tanquam è salubri & fœcundo fonte succos accipiunt , emendatosque per varias ferunt corporis partes , inde roboris & vitæ beneficium sortituros. At hæc semel prætergressæ claustra , dùm versùs alia loca ruptis repagulis irrepunt , quæ ad primarium vitæ munus inserviebant , repentè corpori morbidam & sæpè mortiferam vim , perturbato rerum ordine , incutiunt.

Illud morborum agmen , quorum sub mole gravi tot victimæ laborant , sollicitudinem semper & curam in eis excitavit , qui ad utilissimæ Artis progressus , & ad humani generis commoda accingebantur ; constabit enim Chirurgiæ annales cuilibet evolventi , majores nostros , palliatiæ curationis , unde sibi tantum decus hodierna Chirurgia vindicat , fasciationumque nescios , ferro & igne ad radicalem herniarum expugnationem uti tantùm consuevisse. Hæc media , non repudianda quidem , sed in extremis casibus tantùm adhibenda. Ex legitimo usu , doctâque administratione utilitatem plurimam præ se ferunt ; at quantum ex abusu , indoctâque praxi immineat periculi , fatis superque testantur casus inde enati , luctuosique miserorum cruciatus , qui periculosâ resecatione , partes haud quaquam luxuriantes , & ad tuendam humanæ societatis laudem efficacissimas desiderabant. Hanc quidem remedii atrocitatem altera non minùs crudelis , ignis scilicet & caustica , excepit , quæ experientiâ demonstratur saltem inutilis , ne dicam funestissima , quippe quæ plurimos in vitæ discrimen adduxerit. De causticorum inutili & periculosâ administratione differere hîc animus est ; hæc quidem à Veteribus jam dudùm proscripita & certioribus sanæ Chirurgiæ præceptis debellata , vix & sine laude exercetur:



3

sed error profligandus & ab errorum periculis præcavenda hominum vita.

Præmissis quibusdam de Anatomia, melius elucidabitur quænam pro diversis speciebus competat herniarum curatio.

§. I.

IN abdomine, amplissimâ corporis cavitate quæ à xiphoideâ cartilagine ad infimam parvi pelvis partem extenditur, varia continentur viscera, quæ præsertim digestioni, secretionibus quibusdam, & generationi dicantur. Hæc viscera protegent variæ partes continententes, inter quas, præ cæteris, annotandi muscoli abdominales, qui ferè totum occupant & conficiunt abdominis ambitum. Decem vulgò recensentur, quinque in utroque latere; Obliqui majores, Obliqui minores, Transversales, Recti, Pyramidalesque dicuntur. Per medium abdominis conspicitur linea alba, quæ à sternò ad juncturam ossium pubis extensa, ex aponevrosibus obliquorum majorum, minorum, & transversorum musculorum, mirè inter se implexis conflatur, in cujus medio umbilicus. Quomodò autem versùs inferiora desinant hi muscoli, considerandum præsertim interest. Obliquus major, à spinâ anteriori & superiori ossis Ilei, latâ & forti aponevrosi, obliquè versùs os Pubis fertur; quæ ibi in duos fasciculos divisa, duplici tendine terminatur, quorum unus anterior ad os pubis alterius lateris tendit, dum alter posterior ossi pubis ejusdem lateris adhæret. Ex hæc fasciculorum dispositione inter se, oritur spatium, quod, ovale licèt & oblongum, annuli nomine designatur, & obliquè infrà musculos decurrit. Hic annulus major in viris, funiculo vasorum spermaticorum; in mulieribus minor, ligamentis uteri rotundis viam præbet; quandoque etiam contrà naturam dilatatus, intestinis aut omento, vel utrisque, imò ipsimet vesicæ transitum admittit, sicque in inguine formantur herniæ.



Musculi obliqui minores & transversi, licet obliquo majori posterius subsideant pubi adhærentes, nullum inferius foramen, seu anulum offerunt, sed simul procedentes ab osse ileo ad pubim, fibris aponevroticis conjuncti, arcum tendineum efformant, sub quo vasa cruralia, tendinesque procedunt; imò, si irreparant partes quædam contentæ, tunc oriuntur herniæ crurales.

Torum abdomen interiùs investit membrana tenuis, texturâ tamen renitens, distensionis & restitutionis capax, internè lævis & humore exhalante perfusa, exteriùs inæqualis & cellulosa; cui nomen peritoneum. Licet pleraque viscera, quasi in sacco, continere videatur, ita tamen disponitur, ut in parte convexâ varios exhibeat loculos, visceribus recipiendis aptos, sicque exteriùs involucrum ipsis impertiatur; undè non immeritò in duplicaturâ peritonei sita esse dicuntur. In ejus textu cellulari continentur exteriùs viscera quædam, quæ non aperto abdomine conspici possunt, ut sunt renes, ureteres, vesica, vasa majora, &c. Peritoneum diversimodò reflexum, visceribus plerisque dat ligamenta, quorum præcipuum est Mesenterium. Non omittendi etiam ejus processus cellulares, versùs inguina & crura tendentes, quibus, licet non adsit comes membrana interna, tamen contrâ naturam dilatata quandoquè conjungitur, & plùs minùs ve descendit, sacculos efformans herniis recipiendis aptos.

Aperto peritoneo, mox occurrit omentum, membrana tenuis & cellulosa, striis pinguedinosis perfusa; ab imo ventriculi, infra regionem umbilicalem & etiam ad ilia præsertim sinistra intestinis incumbens extenditur; figuram marsupii refert, cujus apertura superior, fundus verò inferior. Duabus lamellis constat, quarum anterior ventriculo & spleni, posterior verò colo adhæret; parùm sensilis, vasa à vicinis mutuatur, pinguedine sæpiùs abundat, ultrâque limites naturales protensa, ex abdomine prolabitur, & in herniarum partem venit,



Canalem ab ore ad anum usque extensum constituunt ventriculus & intestina. Plurima consentiunt in eorum structurâ, quam præcipuè in intestinis considerabimus; mirabiles admodum circumvolutiones exhibent hæc viscera, evolutaque offerunt tubum membranaceum, septies homine de quo deprompta sunt, longiorem. Sex numerantur intestina, quorum diameter non idem est in omnibus; unde tria dicuntur tenuia: Duodenum scilicet, Jejunum & Ileum; tria verò crassa: Cæcum nempe, Colon, & Rectum. Intestinorum structura, ex quatuor tunicis, non secus ac ventriculus, constat; prima membranacea est, & à peritoneo propagatur; musculosa secunda, duplici fibrarum, longitudinalium nempè & annularium, ordine constat, quæ pro diversâ actione, motui intestinorum inserviunt. Tertia nervea dicitur, glandulis, nec non vasculis copiosis & textu cellulari densiori instructa, aliis magis extensa est: unde rugæ & valvulæ. Quarta tandem villosa, fines sanguiferorum, & principia vasorum lacteorum sustinens; tanquam totidem villos exhibet; hinc cribri instar, intrâ intestinorum cava continuò exhalat, inhalatque, & percolationis chili organum dici potest.

Vasa copiosissima intestinorum substantiam perreptant. Arteriæ miseraicæ præsertim; quarum superior tenuibus intestinis, inferior crassis sanguinem advehunt. Venæ eandem ferè viam sequentes ad truncum venæ portæ & hepar adeunt. Nervi denique, intercostalis soboles, minores licèt, magnam intestinis sensibilitatem conciliant.

Vasa lactea, lymphatica etiam, habent intestina, nonnullæque reperiuntur glandulæ, diversis nominibus donatæ.

Ciborum concoctionem actione propriâ, variisque liquoribus admixtis; operantur intestina; secretionem chili perficiunt; motu suo & actione muscutorum ambientium, residuam alimentorum molem ad crassa impellunt, ubi fæces colliguntur suo tempore foràs deponendæ.



Sic intestina, cùm exquisitâ sensibilitate & irritabilitate majori gaudeant, sensu quolibet etiam minimo afficiuntur, & continuo agitantur motu. Motum etiam ipsis imprimunt muscoli abdominales & diaphragma, unde si major adsit ipsorum pressio, versùs partes minùs resistentes impelluntur; obicibus victis, foràs tendunt, sensim prolabantur, sicque formantur herniæ, quarum accidentia, ex cognitâ partium indole facilè deducuntur.

### §. I I.

Tumores quicumque à partium in abdomine contentarum prolapsu efformati, generatim ramices, seu herniæ vocari solent.

Herniarum differentiæ desumuntur. 1<sup>o</sup>. A loco; sic illa quæ in umbilico apparet, umbilicalis, seu exomphalos; quæ in inguine, inguinalis, seu bubonocèle; quæ in scroto, hernia scroti, seu oscheocèle; quæ in abdominis circumferentiâ, ventralis dicitur, atque sic de cæteris. 2<sup>o</sup>. Differunt quoque in ratione partium in tumore contentarum; ita enterocele, quando intestina tumorem faciunt; quando omentum, epiplocele; dùm utraque, enteroepiplocele dici consuevit. 3<sup>o</sup>. Ratione essentiæ dividuntur in simplices, compositas & complicatas; simplices ex unâ parte fiunt, & sunt absque accidentibus; compositæ ex pluribus partibus producuntur; complicatæ verò accidentia offerunt, & plus minùs ve secum important periculi; tales sunt herniæ adhærentes quæ in abdomen refundi nequeunt; aliæ in procidentia loco ita constrictæ & angustatæ sunt, ut prolapsæ partes brevi inflammationem subeant, incarceratæque dicuntur; hæ subsequentiâ habent pejora accidentia, ut inflammatio, suppuratio, gangræna, &c. 4<sup>o</sup>. Herniæ possunt esse vel completæ, vel incompletæ; completam intelligimus eam in quâ tubus intestinalis totus in herniâ continetur; per incompletam  
verò,



9

verò, eam in quâ pars tubi tantùm constringitur. 5°. Admittuntur etiã herniã verã & spuria; verã à partibus in abdomine contentis, efformantur: tales sunt modò designatæ; spuria verò hernias mentiuntur, & hoc nomine designantur tumores quidam ab aere, & pneumatocèle; alii ab aquâ, & hydrocèle; si à carnibus, sarcocèle; dùm à sanguine, aimatocèle dicuntur. 6°. Denique discrepant ratione molis, & resistentiæ: unde aliæ majores, aliæ minores; hæ molles, illæ duræ prementi digito resistent & reduci nequeunt.

Ad varias herniarum causas revocantur omnes illæ quæ partes nimium laxant vel premunt, quæ vim aliquam abdomini incuriunt, vel nunc & repentiè ipsum ad insignem violentiam inducunt. Unde admittuntur quædam causæ internæ, ut fibrarum atonia, abdominis distensio à fero intrâ textum cellularem effuso, tussis, usus alimentorum pinguium & oleosorum, &c. Externas verò inter causas numerantur, lapsus, ictus, saltus, equitatio, nisus vel in movendis, vel in attollendis gravioribus ponderibus vehementior, vociferatio, tubarum inflatio, vestes strictiores, &c. His causis diversi-mode agentibus, viscera premuntur, versùs partes minus resistentes impelluntur, distenditur peritoneum, ceditque, vel rumpitur, & sic oriuntur herniæ.

Ad perfectam herniarum diagnosim, non omittenda signa commemorativa, si quidem & morbi, & accidentium naturam elucidare valent, sicque certius discernitur tumor, ab alio qui herniam quandoque primâ facie mentitur. His consideratis, ex visu, tactu, auditu etiã quandoque, necnon accidentibus, tutior postea statuitur herniarum diagnosim.

Jam verò dum locus magis quàm naturaliter decet, prominet in inguine, oculis dignoscitur herniæ moles, situs, figura, &c. Si his accedat tactus, & tumor digitis pressus, sit æqualis, circumscriptus, renitens, elasticus; si pro diverso corporis situ vel motu mox detumescat, moxque intumescat, si manu pressus eva-



nescat, & quidem sæpiùs cum murmure quodam, tunc ipsum à prolapsis intestinis provenisse judicatur. Dum ab omento tantùm, tumor inæqualis est & crassus, tangenti digito minùs cedit, intrà abdomen non æquè facilè & sine murmure descendit, minùs dolet & elevatur; difficilè tamen distinguitur, & alterius tumoris seu herniæ spuria speciem refert quandoque (1). Si ab intestino & omento simul oriatur tumor, signa adsunt communia, aut saltem varia sunt, pro vario partium situ, ita ut difficilè quandoque utriusque partis præsentia dignoscatur.

Ex signis modò memoratis distinguitur hernia vera à spuriâ, quæ, pro peculiari morbi naturâ, sua habet signa. Hernia simplex sicut & composita etiam facilè judicantur; accidentia verò majora vel minora, complicatam indicant. In adhæsione non recenti, tumor ut plurimùm major, partim tantùm reducitur modò rediturus; in recenti verò, si simul adfit inflammatio, jam oriuntur strangulationis signa, adsunt febris, dolor, tensio abdominis, vomitus, singultus; malo non remittente, sequuntur vomitus stercorales, sudores frigidi, debilitas pulsûs, indolentia partis, quandoque gangræna. Hæc accidentia minùs urgent, si omentum tantùm patiat, vel minor sit strangulatio. Denique hernia incompleta difficiliùs cognoscitur, & per accidentia herniis communia tantùm prænuntiari potest.

Herniarum prognosis desumenda à situ, ab ægri ætate, & viribus, ut & morbi duratione & vehementiâ. In infantibus & pueris plerùmque nullum imminet periculum, si quidem in his facile refunduntur & sanantur; in adultis etiam & in senibus minùs periculi foret, quandiu prolapsæ partes liberæ sunt, & adhuc repelli queunt. Licet etiam increverit tumor, si nondum

---

(1) V. *Remarques sur les signes illusoires des Hernies épiploïques*, par M. Pijet le jeune. *Mém. de l'Acad. de Chir.* Tom. V.



interclusa & intercepta sint intestina, si accidentia non imminuant, congruaque adsint auxilia, ut plurimum non adeò magnum subest periculum. È contra in herniâ, violentiâ & vi factâ; nisi opportuno tempore refundantur intestina, sique gravissima brevi superveniat inflammatio, urgent accidentia majora; quæ si celeriter non debellantur, mox ægros post tertium diem, & etiam citiùs, interdùm consumunt.

Pro variâ herniarum specie, varia proponitur curandi norma, quæ vel palliativa, vel radicalis habetur. Palliativa ea dicitur, in quâ quidquid intestinorum aut omenti prolapsum est, modò in abdomen refunditur, & firmiter ne iterùm prolabi queat, intùs continetur. Taxis ex artis legibus celebrata, & vincturæ, seu subligacula idonea aptè disposita, hunc finem adimplent, qui in herniis simplicibus aut compositis semper sufficit, & etiam curationem radicalem quandoque operatur. Horum enim beneficio, ut frequens rerum usus testatur, non infantes tantùm & juniores, sed quandoque adulti, præcipuè si recens sit malum, quàm felicissimè liberantur; congruâ victûs ratione simul adhibitâ, saltu, equitatione, vehementioribus succussionibus & motibus cautè vitatis. Curatione hunc in modum institutâ, feliciter etiam sanescere possunt qui vigesimum nondùm ætatis annum attigerunt. Si verò ægri natu grandiores fuerint, vel hernia sit inveterata & major, neque facilè retinenda, de perfectâ illorum sanitate prorsùs desperandum. Nihilominùs tamen vincturis sive subligaculis malum levare, & utilissimum sanitatis præsidium in eis inveniri, experienciâ comprobatur.

Si partes prolapsæ reduci nequeant, majoraque urgeant accidentia, variis operationibus partium reductionem, necessitate impulsâ tentavit Chirurgia; cumque sæpiùs post cicatricem inde subsequentem partes iterùm non prolabantur, radicalis hinc habita fuit hæc curatio. Hanc tamen herniarum curationem non



nulli tùm inter veteres, tùm inter recentiores, in eum tantùm finem adhibuerunt, ut ægros herniis laborantes, ad fortiores labores ineptos, & à molestiâ subligaculorum & à vitæ periculo liberarent.

Dum nulla adsunt accidentia, radicalis curatio, remediis internis aut externis tamen tentari potest. Ad hunc finem laudantur remedia quædam interna; & præ cæteris topica ex astringentibus, & corroborantibus deprompta, ut sunt vina quædam austera & fortiora, rosæ rubræ, cortex granatorum, pulvis querceus coriarius, &c. Hæc remedia in junioribus, & in herniis recentioribus præsertim prodesse constat, dum è contrâ in herniis antiquis, & in senioribus minùs frequenter præstant, nisi longissimus fuerit eorum usus. Inde in his minor fides, & horum in praxi negligentia major nequaquam laudanda.

Veteres, ut patet ex Celso (1), in eo quem scalpello curari oportebat, tegumentis saccoque incisis, testiculo præcavescentes ne ipse lædatur, intestinum reponerent; dein excisis quæ excidenda sunt & nimium extensa, cicatrice perfectâ partes retinebantur.

At mox pejor invaluit medendi ratio, Agyrtis familiaris & usitata. Non minùs enim junioribus quàm ætate provectis, testiculum excidebant, peritonei processu, ac vasis spermaticis antea deligatis; hocque modo, radicaliter hernias curare opinabantur. Talis mos adhuc erat Hildani & Fabricii ab Aquapendente temporibus; at tantùm abest ut faustè adhiberi possit hæc curatio, quæ cum intensissimis cruciatibus, jacturâ testiculi, atque ipsius vitæ periculo, & etiam cum perpetuo pristini vitii metu conjuncta deprehenditur.

Alii minùs cruentam curandi rationem puncturâ, vel sectione aureâ secuti sunt, sed non majori cum successu; nam si non satis arcta sit illa vinctura, facilè intestina iterùm deprimuntur; si

---

(1) Medic. libr. VII, capit. XX.



è contrà arctior, vasa spermatica simul constringuntur, atque proin testiculum corrumpi necesse est.

Alii solis tegumentis incisis, partibusque reductis ligaturam sacculi adhibuerunt.

Alterà herniæ curandæ ratio etiã antiquissima, in ipso met cauterio actuali quæsitã fuit, refertque Guido de Cauliaco (1) Albucasim, Avicennam, Rogerium, aliosque, &c. cauteriorum actualium ope escharram in annulo excitasse; at cum crudelior visus fuerit hic apparatus, ægrosque perterrens, Theodoricus, Joannes de Crepatis, Magister Andræas Monspeliensis, aliique & Guido, cauteriis actualibus neglectis, potentialia anteposuerunt, eaque adhibenda sibi proposuerunt, ut fortior inde subsequatur cicatrix, sicque multos, herniis laborantes, curatos fuisse asseverant; ast de causticis, ut potè periculosis, diffidere, cicatricemque semper per vincituram levare suadet ipsemet Guido.

Hildanus (2) refert, empiricum suo tempore hernias oleo quodam chemico curare voluisse, sed ægros maximis doloribus affecisse, & tamen quosdam vix curasse. Eadem de periculo causticorum, & incerto eorum usu prædicat Paræus (3): unde patet causticorum usum ab antiquis notum, validissimis rationum momentis ex unanimi eorum sententiã rejectum fuisse, eum non tantum inutilem ad radicalem herniarum curationem, sed & perniciosissimum æstimantes. Neglectam exsuscitare methodum sæpiùs voluerunt non nulli, qui histrionum ferè omnium more, optima quæcumque pollicentes, ægros in gravissimum vitæ periculum, præter necessitatem, adduxerunt. Sic in Angliã, Medicus

(1) Tractat. VI de decoratione. Caput VII de Rupturâ dydimali & de curâ per Chirurgiam.

(2) Operat. Chir. pag. 915.

(3) Liv. VII, Chap. 18.



quidam, cui nomen Little John, rodentibus medicamentis, & præ cæteris fortissimo vitrioli oleo utebatur, & cicatrice inductâ, subligaculum nihilominus commendabat. Sed res prosperè juxtâ jactationem cum non successisset, paulo post contemni cœpit & ab ipsismet Anglis rejici (1).

Rejectam in Angliâ sibi propriam apud nos fecerunt non nulli, rursùmque ad lucem, tanquam novam, paucis ab annis, majori haud quaquam successu, methodum ediderunt (2); rationes ergo, variaque quibus nititur observationum momenta, noscere operæ pretium est, ut de eâ ad radicalem herniarum curationem, quid sperandum, quidve timendum cognoscatur (3). Hujusce curandi rationis fautores, ut in causticis majorem fidem facerent, ea tanquam certa & unica ad radicalem herniarum curationem remedia jactaverunt; alias operationes prædicaverunt periculosæ plenas alicui; subligacula affirmaverunt herniis continendis inutilia; imò plurima accidentia, in imaginatione concepta, tanquam frequentia ab eorum usu, supposuerunt; eaque tantùm contrâ herniarum rapidiores progressus, & ad strangulationem aliquoties præcavendam, apta dixerunt; quod apertè falsum & ab omni veritate destitutum, experientiâ quotidianâ comprobatur. Constat enim primò subligaculorum usu juniores & etiam seniores, quandoque radicaliter sanescere: secundò hernias nullatenus deteriores fieri, quatenus subligaculis ritè factis, & corpori diligentissimè adaptatis continentur; inde nec inflammationes, nec

---

(1) Heister, Instit. Chir. Part. II, Sect. V, Cap. cxix. *Monro, Essais & Observations de Médecine de la Société d'Edimbourg*, Tom. V, art. 21.

(2) *Mémoire publié dans le Journal de Médecine de Novembre 1771. Et Libellum cui titulus. L'Art de guérir radicalement, & sans le secours d'aucuns bandages, les Hernies.* Paris, 1778.

(3) Vid. Dissertat. clar. Præsidis & Supplementum in Commentariis Reg. Chir. Acad. Tom. V, in-4°. 1774.



compressiones noxiæ ; tertio, partes nequaquam strangulari posse, dum firmiter constanterque subligacula gestantur ; si fortè minùs benè succedant vel propter negligentiam ægrotantis, vel ob pejo-rem fabricam, ab imperitis sæpiùs tentatam, tunc non crimen Artis, sed ægrotantis, vel machinæ est (1).

Falsò subligaculorum incommoda & accidentia promulgave-  
runt causticorum laudatores; absque incommodo enim gestantur,  
& nulla sæpiùs, per longius vitæ curriculum, oriuntur accidentia.  
Rarò post legitimum ipsorum usum ad operationes confugien-  
dum, nisi propter strangulationem partium in herniis contenta-  
rum, & tunc sufficiunt ad curationem radicalem, imò aliis ope-  
rationibus præstant incisiones necessariæ ad reductionem, ex Artis  
legibus celebratæ. Fidem faciunt observationes in variis auctoribus  
consignatæ; eam confirmant nosocomia in quibus homines, la-  
boribus gravioribus occupati, pauperes numerosi, subligaculis ritè  
factis destituti, sibi met ipsis negligentes, decumbunt, & tamen  
rariores ibi fiunt operationes.

Si causticorum effectus ex successu & observationibus dijudi-  
centur, certè promissam utilitatem non præstant. Ideò enim  
adhibenda proponuntur caustica, ut subligaculorum usus vite-  
tur, curatioque radicalis obtineatur; sed ex herniosis per  
caustica curatis, quidam ex applicatione accidentia experti  
sunt; alii post curationem apparentem, paulò post herniâ iterùm  
laboraverunt, & in subligaculorum usu levamen, per caustica  
frustrà promissum, quæserunt (2). Alia possent hîc numerari  
exempla, quibus probatur caustica ab iteratâ herniâ non servare,

(1) Desiderandum foret ad salutem hominum, subligacula tantùm fieri & applicari à Chirurgis herniarum curationi devotis, artificesque rudes & imbecilles in messem salutarem manus non injicere; rariores forent accidentia. Hoc bonorum in votis, utinam tales abusus reprimat legum auctoritas!

(2) Vid. Dissert. suprâ laudatam in Comment. Reg. Acad. Chir. Tom. V.



& nihilominus, saltem prudenter, post curationem subligacula iterum esse necessaria. Incerta ergo curatio radicalis tanto promissa hiatu, & quod probaverat plurium seculorum experientia, hoc idem confirmant quotidiana ab ipso met operatore tentamina.

Ast non tantum incerti, sed ipso malo sæpius peiores fuerunt causticorum effectus; ex his accidentia, vitæ periculum, & ipsa mors subsequuta sunt. In hoc erosio intestini & fistula stercoralis, in illo mors citior, lentior in alio, pro curatione radicali successerunt. Nobis communicavit clarissimus Actus Præses se vidisse, cum Magistris *Veyret, Pipelet* natu majore & juniore, aliisque hujusce Collegii Sociis, ægrotum quemdam, qui herniâ simplici affectus, caustica bis incassum expertus fuerat, & post cicatricem difficilius obductam, doloribus vehementioribus, & eventratione laborabat. Vidit etiam cum Magistro *Guyenot* virginem, quæ ab eodem caustico curata, herniâ iterum afficiebatur. Sic incerti eventus comes, adest quandòque pejorum malorum funesta soboles.

Post talia gesta, innocensne, certa, periculi expers, prædicari potest hæc curatio? Successus quidam fortuiti narrentur! Laudent jactatores! Inutilis saltem, & etiam periculosa pronuntiabitur operatio, quæ absque necessitate, & in cautelæ modum, lethalibus accidentibus homines devovet contra incommodum, cui forsan nulla operatio fuisset necessaria.

F I N I S.